



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Quantis amaritudinibus vita ista sit respersa, 21

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

tui mater Hierusalem ; dum stant pedes mei in atriis tuis sancta & decora Sion , necdum interiora tua conspicerere in propatulo valens ; sed in humeris pastoris mei , structoris tui, spero me reportari tibi ; ut tripudiem tecum illo inenarrabili gaudio , quo lætantur illi, qui tecum sunt coram ipso Deo & Salvatore nostro. Qui dissolvit inimicitias in carne sua, & pacificavit omnia quæ in cœlis sunt , & quæ in terra, sanguine suo.

3. Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum. Qui duos ex adverso venientes parietes conjungens, in se beatitudinis tuæ permanentem foelicitatem, pari modo & eadem mensura se nobis daturum promisit, dicens : Erunt æquales Angelis Dei in cœlis. O Hierusalem domus Dei æterna, post Christi dilectionem, tu esto lætitia & consolatio mea ; dulcis memoria tui beati nominis sit relevatio mœroris, tædiorumque meorum.

CAPUT XXI.

Quantis amaritudinibus vita ista sit re'persa.

1. **T**ædet enim me Domine valde vitæ hujus, & istius ærumnosæ peregrinationis. Vita hæc, vita misera, vita caduca, vita incerta, vita laboriosa, vita immunda, vita domina malorum, regina superbiorum, plena miseriis & erroribus, quæ non est vita dicenda, sed mors ; in qua momentis singulis morimur, per varios mutabilitatis defectus diversis generibus mortium.

2. Nunquid ergo hoc, quod vivimus in hoc mundo, dicere possumus vitam ? quam
humores

humores tumidant , dolores extenuant & ardores exsiccant, aër morbidat, escæ inflant, jejunia macerant, joci dissolvunt, tristitiæ consumunt : sollicitudo coarctat , securitas hebetat : divitiæ inflant & jactant , paupertas dejicit, juvenus extollit , senectus incurvat, infirmitas frangit, mœror deprimat. Et his malis omnibus , mors furibunda succedit, simulque cunctis gaudiis istius miseræ vitæ , ita finem imponit , ut quum esse desierit , non fuisse putetur. Mors ista vitalis , & vita mortalis , licet his aliisque sit respersa amaritudinibus , proh dolor , quam plurimos suis capit illecebris ! & quam multos suis falsis promissionibus decipit !

3. Et cum ita per se sit falsa & amara , ut etiam suos cæcos amatores latere non valeat : tamen infinitam stultorum multitudinem, aureo calice, quem in manu habet , potat, & prorsus inebriat. Fœlices illi, & ipsi rari, qui familiaritatem ejus recusant , perfunctoria gaudia spernunt, societatem abjiciunt : ne cum pereunte deceptrice & ipsi perire cogantur.

C A P V T XXII.

De fœlicitate vitæ , quam præparavit Deus diligentibus se.

I. **O** Tu vita , quam præparavit Deus iis, qui diligunt eum , vita vitalis , vita beata , vita secunda , vita tranquilla , vita pulchra , vita munda , vita casta , vita sancta , vita ignara mortis , nescia tristitiæ , vita sine labe , sine dolore , sine anxietate , sine corruptione,